



NOVA
POSONIENSIA.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE III. SEPTEMBRIS.



Etropoli, a. d. 17 Julii.

Per Officiale Russicum scribitur, quòd Czarus Colomnæ nave conscensâ, secundo amne Volgâ usque Astracanam cursum tenuerit cum 7. legionibus desultoriis & 26. peditum agminibus, optimè instructis campestri armaturâ; quòd gravior verò consistat è 250. canõnibus & 50. mortariis; cum quo apparatu eunt 3. peditum agmina & 5. legiones exemptæ præfidiis, unâ cum 36000. Cosaccorum millibus. Sub finem Junii exercitus omnis Tereskiam ad extremam Czari urbem adveniet, in 4. castra, 30000. capitum singula, dividendus. Idem refert, quòd Scamacensis civitas, emporium Persiæ, per rebel-

les expilata & evastata sit, 120000. animæ verò interfectæ, quas inter 200. mercatores Russici, qui 5. milliones inparato ære possidebant. Quòd infelix Rex hæreat 30. leucis à Babylone, quem ad instantiam Sultanus 50000. capitum auxiliis sanctè promissis est consolatus; qui Rex Czaro, si & rogatas præstabit suppetias, insignem summam peculii, favores multos in puncto commercii, optimûmque portum ad mare Caspium appromittit. Cùm Regnum Chinense videatur sese immisturum Persici belli motibus, hoc ut Czarus impediat, Legatio per ipsum ad Chineses decernetur.

Româ, 25. Julii. Lapsâ Sabbathi, Serenissima Coniux Equitis S. Georgii cum carpentis 8. cursoriis hinc Luccam properabat, aquis ibidem suæ consultura sani-

fanitati. Eâdem, Abbas de Tausé Minister Franciæ ivit visere Cardinalem de Spinola Secretarium Statûs, qui dixit Abbati per colloquium, quòd Pontifex non leviter apprehendat moram Curix Gallicæ, nihil hucusque agentis contra 7. Episcopos appellantes, ipsum requirendo, quatenus Parisios hâc super causâ cursores expediat. Martis nuperâ, in Quirinali extraordinaria Congregatio servata fuit præsentè Sanctissimo circa præsentem statum causamque Melitensem, in eâque resolutum, quòd ad Meliten civitatem conservandam, possibili quovis subsidio sit concurrendum, quem in finem pariter solemnes triduanæ Preces, Veneris proximâ inchoandæ servabuntur.

Genuâ, a. d. 25. Julii. Discursus parvæ classis Hispanicæ in Mediterraneo, quæ labentis 4tâ est visa prope Minoricam, nonnihil suspectus fuit de omne parum dextero; quo tamen è freto rediisse creditur, ex quo affirmatur, quòd unicè destinata fuerit contra barbarorum piraticas, ex condicito scilicet unâ cum 6. navibus Hollandicis dissipandas. Mediolano scribitur, quòd ibi continuæ ferventur preces & ambitus ad pluviam Cœlitus impetrandam; Taurino autem accepimus, Curiam Sabaudix Veneriâ transiisse Rivolam, ubi Principissa Palatino-Sulzbacensis, Principis Pedemontani Conjux, quòd gerat uterum, fellâ gestitatur.

Madrito, a. d. 28. Julii. Abhinc biduo in Festo Divæ Annæ Regnantes utræque Majestates in Sacello Castri Balsamensis præviâ exomologesi facrà & Synaxi susceptâ, quòd dies esset Titularis, sive Nominis Regiæ Infantis, Regiæ Gallix, desuper à Ministris & Magnatibus congratulationes festivas

receperunt; pridie cujus diei Festo D. Jacobi Apostoli, Hispaniæ Patroni Titularis, Equites Militaris S. ejusdem Ordinis, induti pallio consimili, Regio in Sacello Festum solemniter celebrârunt. Præter 4. Hispanicas naves bellicas, in portu Barcinonensi armatas, quæ alto committi jam debuerunt, duæ adhuc liburnicæ & alia navis, ut vocant, brigantina instruitur, quæ omnes ac singulæ destinantur contra barbarorum piraticas, commercia in partibus Coronæ maritimis vel maximè perturbantes.

Hamburgo, a. d. 7. Augusti. Refertur Rostochio, quòd Imperialis Commissio Subdelegata litteras Commendanti Domitiæ miserit, inscriptas Duci Mechlemburgo-Schwerinensi, hoc conceptas argumento: quòd dicta Commissio receperit mandatum Imperiale Aulicum hanc causam terminandi; cùmque Serenitas Sua usque huc noluerit sese resolvere ac damnum passis Illustribus patriæ satisfaciendum, Ministri Subdelegati pro executione facienda vigore mandatorum Imperialium sint obligati ad Ducis altedicti Dominia sequestrandum; quas proinde litteras dictus Governator Principali suo Dantiscum per cursores expedivit; atque interea duæ legiones Hannoverana & Guelphica civitati Mechlemburgo feruntur immittendæ, Hac in urbe agentes Holfatici Officiales ex Aulâ Ducis sui, qui sub Magnæ Russiæ Czari absentiam in civitatis Moscux viciniâ omne fallit otium, heri litteras accipere, affirmantes, quòd altesatus Dux Holfato - Gottorficus Tribunalum de Rantzau destinârit in Hollandiam ad summam peculii negotiandum inibi sub fidejussione Statuum Belgii Generalium, quòdque altedicta Serenitas

D.

D. de Wilde Statuum eorundem Ministrum penes Aulam Moschoviæ requisiverit, hoc ut negotium penes Status commendando promoveat. Rensburgo accepimus, Comitem de Ranzau, ibidem sequestro datum, animam reddidisse, sic cum vitæ periodo simul processum absolvendo.

Parisiis, a. d. 7. Augusti. Die primâ mensis, Doctores in Sorbonâ congregatis, D. Romigny Syndicus syllabum prælêgit 100. Doctorem, qui formulare sub receptionem suam non signavêre, quique ex præscripto Curia in tali casu sunt degradandi, quòd intrâ terminum mensis utilem iis concessum non signaverint. Dominus de Tournelli ad hoc quidem reposuit, quòd omnes & singuli Doctores pro gravamine hoc tollendo è medio possint obligari ad novam formularis signaturam; ast rejectum est tale expediens: cùmque Dominus de Durieux consultum esse proponeret, ut Commissarii nominandi syllabum præactum examinent, sub pulsam horæ diei 12mæ Facultas citra responsam est separata. Currentis 4tâ, extraordinarius Melitensis Legatus de Mesmes, sub comitatu magnarum Crucum S. Ordinis in nigro pallio, Commendatorum & Equitum Professorum in pallio cum Cruce albâ juxta humeros, Novitiorum in atrato prorsus & Presbyterorum Conventualium in oblongo habitu, gavisus est in arce Versallensi publico affatu Regio, in quo Majestati Suæ Magni Ordinis Magistri D. Marci Antonii de Zandedari obitum, & in ejus vices electionem D. Antonii Manuel Lusitani intimavit, debitis cum ritibus per Equitem de Sainctot introductus, dein Ducem Coronæ, Regentem ivit salutatum. **Archi-Episcopum Rhemensem,**

qui suas Româ Bullas obtinuit, Cardinalis de Rohan patruus 16tâ hujus solemniter consecrabit; proximâ verò Dominicâ Rex noster confirmandus, & Festo Divæ Virginis Assumptæ Sacram Synaxin primâ vice recepturus dicitur.

E Tractu infer. Rheni a. d. 12. Augusti. De 6tâ currentis Ratisbonâ perscribitur, Comitem de Vratislaw & Dominum de Jodoci, Boëmiæ ac Austriæ respectivè Legatos, indè propediem ad Augustam Viennensem cogitare in finem Suæ Majestati Cæsareo-Hispanicæ super aliorum Principum seu eorundem Legatorum conceptibus, quantum diversa concernit Decreta Commissionis Cæsareæ, oretenus referendi. Interea passim asseritur, diversos quòque Ministros, signanter Regio-Suecicos, Ducum Brunsvicensis, & Guelphici, ac Lantgravii Hasso-Cassellani, Ratisbonâ ex condicito transituros esse Hannoveram, ad consilium inibi mutuò conferendum. Refertur per Romanas de Julii 25tâ datas, quòd in Congregatione sub 21mam ejusdem habitâ, resolutum fuerit, insulæ Melitensi præter triremes Pontificias adhuc alia subsidia & auxilia superaddi oportere, ad conceptus Turcarum & quorumcunque barbarorum eludendos; 300. insuper equites debere locari ad tutandum partes maritimas, pro loco pariter armorum decerni Viterbium, ad barbaros ab Italiæ ingressu coërcendum. De 31mâ lapsi quòque refertur ex Italiâ, quòd, post adventum 33. Sultanicarum & aliarum navium Sultani in canalim Melitensem, classis barbaræ Gubernator navem Gallicam in eundem portum miserit litteris, novo Ordinis Magistro D. Antonio Emanuelli inscriptis, quibus mancipia relaxari sollicitat; quòd verò noviter electus Magister

gister cursores ad Marchionem de Almenara Siciliae Proregem ocius ire iusserit, rogatum ab eo auxilia. Privatorem visuntur litterae, quasi classis Turcica parvam Gozzensem insulam, sub imperio Equitis de Langou infensam 1700. armatorum praesidio, jam tum aggressa fuerit.

E Tractu infer. Rheni a. d. 17. Augusti. Status Juliae ac Montium in civitate Dusselanâ congregati, quod circa Principis Electoris Palatini facta in causâ tributorem postulata sese jam faventibus declararint, vix ambigitur, quin inter alitertam Serenitatem ac Status patriae res propediem ex integro sint componendae. Refertur ex Helvetiâ, quod Marchio de Avarey Legatus Regis Christianissimi pensiones Catholicis Pagis debitasolvere aere parato coeperit. Diversis affirmatur nuntiis, classis Turcicam, quae propius insulam Melitensem accesserat, inde vela recepisse, ex quo supremus Ordinis Melitensis Magister eidem classi mancipia bello capta reddere ad instantiam disertis verbis recusavit; cujus & Religionis Equites, in Italiâ reliqui, viam cepere Meliten, ubi & auxiliaris Hispanica classis sub Thalasso de Serano expectatur. Dominum de Cavalieri SS. Sedis ad tractum Rheni Nuntium Colonia Ubiorum hâc septimanâ praestolatur. De 14tâ refertur Hagâ Comitum, quod Status Belgii Generales plura successivè duxerint colloquia super materiâ & modo acquirendi peculium, in finem augmentandi militiam, si requiratur necessitas, & plura urbium Geldris vicinarum munimenta foede collapsa reparandi. Fertur certis ab Aulis Prae-

tendenti affectis cogitari de competente medio ipsum insulae Jamaicae inferendi. De 7mâ hujus Londino perscribitur, quod cum Aula etiamnum non fidat Jacobitis, Scotiae ac Hiberniae accessus per agmina ex intervallis locata infideat, naviumque parat copiam ad subdolis motibus ex composito resistendum. Passim quoque asseritur, quod, nisi Aula Londinensis ultro resolverit Gibraltaram & Portum Naois reddere Madritensi, nihil videatur certius, quam ab Hispaniâ vere proximo classis esse instruendam ad loca utraque viâ & manu forti recuperandum; quanquam alii credant politici, quod sub minarum, quas facit Hispania, in volucro secretum aliud molimen lateat, ac fortè intentio Carolum Principem in Ducatus Italicos transferendi ac stabiliendi.

Viennâ, a. d. 20. Augusti. Lapsâ veneris, utpotè in Festo S. Augustini, & natali augustissimae regnantis Imperatricis Elisabethae, annum supra trigessimum aetatis primum gloriosissime attingentis, altifatae Majestati, non solum augustissima Imperatrix vidua, ejusque augustissima archiducissa Maria Amalia, verum & Eminentissimi Cardinales (titl) Dux Saxoniae, à Schrottenbach & D'Alsace, concomitantibus quibusdam Regni Hungariae Magnatibus, in speciosissimo apparatu, gratulatoria praestiterunt officia.

Posonii, a. d. 3. Septbr. Sopronio edocemur, prioris 25. terrificâ adeo in districtu Rustiensi exortam fuisse tempestatem, cuius tam ponderosae grandines, ut non solum districtus quorundam milliarium in vinetis, sed tecta etiam quamplurima totaliter destructa videantur.